



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Quadragesimum secundum. De miraculo intestinorum eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Caput Quadragesimum primum. A

*De infante in balneo suffocato & per inuocationem nominis
B. ENGELBERTI resuscitato.*

Infantem
mortuum
excitat.

FOEMINA quædam è Flandria attulit filium suum infantem. Cum-
que cum in balneo posuisset, & necessitate urgente ab eo recessisset,
illius oblita est. Post horam verò reuertens, cernit infantem aquis præ-
focatum. Itaque incredibili correpta dolore, simul etiam recordata
martyris, qui tum passim ferebatur multis coruscare miraculis toto cor-
de cum lachrymis & suspirijs orauit eum, vt excitaret filium ipsius. Re-
dit anima in viscera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit
cum infante Coloniam, & apud sepulchrum martyris gratias agit im-
mensas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Ecce per marty-
rem tuum ENGELBERTVM cæci vident, claudi ambulant, paralytici
curantur, surdi audiunt, tertianæ & quartanæ febres profligantur, epi-
leptici & alijs diuersis implicati morbis, sanantur, etiam mortui reui-
uiscunt. Si non esset hic homo cum Deo, imò potens apud Deum,
non posset facere quicquam. B

Notatio ad Caput Quadragesimum pri-
mum. C

MAnuscriptus tradit hoc miraculum Leodij, contigisse,
quo venerat è Flandria mater cū filio postea suffocato.

Caput Quadragesimum secundum.

De miraculo intestinorum eius. D

REFERAM nunc quoddam non exiguum sanctitatis eius documen-
tum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoque ad mo-
nasterium Montense, & cum mentio incideret, quemadmodum illic
tractatum esset corpus beati martyris ENGELBERTI, sciscitabatur ille,
vbi viscera eius humata essent. Dicentibus monachis, in cœmeterij fos-
sa quadam vulgari condita esse: Non decet, inquit, tanti principis, imò
martyris miraculis coruscantis, viscera tam negligenter haberi. Obtem-
perant

Viscera
martyris
incorrupta
post mul-
tas hebdo-
madas.

A perant verò illi fratres, amouentque à sepulchro humum: & ecce viscera martyris adeò cernunt recentia, ac si illa hora è corpore extracta essent. Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris sentiri potuit, cum tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuissent. Admirantur fratres haud vulgariter, agnoscunt Dei virtutem & martyris merita: collecta viscera in scrinio reponunt, & ante altare honorificè condūt.

Notatio ad Caput Quadragesimum secundum.

B S. Godefridus.

IN notatione huius capituli Arnsbergensium Comitum conditionem, sedem, & genealogiam obiter ostendam. Ac principio quanta eorum fuerit ditio, testantur literæ, quibus (vt earum verba retineam) Godefridus & Anna Cliuica Comites Arnsbergenses, anno 1368. 25. Augusti Colonienſibus vendiderunt Comitatum Arnsbergensem cum iuribus, dominijs, iurisdictionibus, altis & bassis, ac mero & mixto imperio, ac specialiter cum castris & oppidis in Arnsberg, in Nehem, in Greuenstein, in Euersberg, in Hachen, item in villis & oppidis in Hustene, in Aldendorp, in Sundern, in Langescheidt, in Hachen, in Frehenolen, in Stegenhagen, in Bodensfelde, in Mescheide, item cum villis & Parochijs in Korbecke, Allagen, Bremen, Voifwinkele, Eggrinhufen, Balue, Affele, Stocheim, Hieluede, Kalle, Velmede, Remmelinghufen, Bye, Reste, Weenholthufen, Haerbocke, Yffelpe, Oeueren kirchen, Esselne, Wurmbecke, Lene, Ouerfunderne, Oldinge, Berghufen, ceterisque villis & parochijs vniuersis, item cum dignitate officio, seu prerogatiua iuris primipilariatus seu antebellatoris inter Weseram & Rhenum, nec non cum omnibus & singulis hominibus, ministerialibus, castrensibus, fidelibus, vasallis, militaribus, oppidanis, villanis, litonibus, seruis, & ancillis & subditis quibuscunque & cæter.] Hæc ad verbum ex literis, quas præter Godefridum & Annam Comites, sigillarunt: Antonius de Reidere, Rutgerus dictus Kettelere, est primipilarius. Heidenricus dictus de VVolff, Arnoldus Hacken, VVilhel-

Emptio
Arnsber-
gensis co-
mitatus.

Arnsber-
gensis co-
mitatus
latitudo.

Arnsber-
gensium
comitum
ius inter
Rhenū &

Vifurgim
lariatus.